

Bello reportasti duces:  
 Neque Africano, cui super Carthaginem  
 Virtus sepulchrum condidit.  
 Terrâ, marisque victus hostis, Punico  
 Lugubre mutavit sagum.  
 Aut ille centum nobilem Cretam urbibus,  
 Ventis iturus non suis,  
 Exercitatas aut petit Syrtis Noro,  
 Aut fertur incerto mari.  
 Capaciores affer huc, puer, scyphos,  
 Et Chia vîna, aut Lesbîa;  
 Vel, quod fluentem nauſeam coërceat,  
 Punico, &c. Est hypallage;  
 Duceſ. Nempe Marium;  
 qui de Jugurtha triumphavit.  
 Vide Oden 1. lib. 2.  
 Neque, &c. Neque ex Africano bello duces parem Augusto reportasti; illum scilicet, cui virtus, &c. Intelligit Africanam minorem; qui, eversa Carthagine, videtur in ejus ruinis sepulchrum omni monumento gloriosius invenisse. Quod Poëticè dicitur hoc in loco: non enim obiit reverâ Scipio Carthagine, aut in ejus ruinis sepultus est; sed Romæ in majorum sepulchro conditus: conveniat illud forte melius Africano majori, qui domita Carthagine, Româ pulvis, obiit in exilio.  
 Terrâ. Terrestrem Antonii exercitum ducebat Canidius: is ad Cæsarē, septimo post fugam Antonii die, defecit.

Metire nobis cæcubum.  
 Curam metumque Cæsaris rerum juvat  
 Dulci Lyæo solvere.  
 scam, id est, vomitum, seu ciborum fastidium: quia nempe Cæcubum, erat acre vinum, & austerius.  
 Curam, &c. Quæ nos antea

solicitos habuit, cum in metu essemus, ob incertum belli exitum, & Cæsaris salutem, fortunamque periculoso loco positam.

## O D E IX.

Mævio Poëta tempestatem, ac naufragium  
 imprecatur.

**M**Ala soluta navis exit alite,  
 Ferens olentem Mævium.  
 Ut horridis irumque verberes latus,  
 Auster memento fluctibus,  
 Niger rudentes Eurus in verso mari,  
 Fractosque remos differat.  
 Insurgat Aquilo, quantus altis montibus  
 Frangit trementes ilices.  
 Nec sidus atrâ nocte amicum appareat:  
 Quâ tristis Orion cadit:  
 Quicquid iore nec feratur aquare,  
 Quam Graja victorum manus:  
 Malâ alite. Malis ominibus, quam esse solet, cum frangit ilices.  
 Exit. E portu, solutis rudentibus.  
 Olentem. Fœtidum, grave olentem.  
 Latus. Navis.  
 Inverso. Susque deque verso, & agitato.  
 Differat. Dissipet, jactet.  
 Quamvis. Tam vehemens,

Orion. Signum procellosum, de quo sæpe antea. Vide Od. 1. lib. 3.

Quam Graja, &c. Gracii, cum è bello Trojano victores patriam repeterent, sævâ tempestate jactari sunt, prope Eubœam insulam, ac præter cæ-



Cum Pallas isto vertit iram ab Illo  
 In impiam Ajacis rancem.  
 O, quantus inquit navitis sudor tuis,  
 Tibique pallor luteus,  
 Et illa non virilis ejulatio,  
 Preces, & aversum ad Jovem  
 Ionius vdo cum remugiens sinus  
 Noto carinam ruperit!  
 Opima quod si prada, curvo littore  
 Porrecta, mergos juveris,  
 Libidinosus immolabitur caper,  
 Et agna Tempestatibus.

feros, Ajax Oilei filius; quem tempestate mittes.  
 Pallas fulmine percussit irata  
 quod in suo templo Castan-  
 dram ille temerasset.

Usto ab Illo, &c. Irata erat  
 Trojanis, ob judicium Paris:  
 itaque, Troja deleta, Vl-  
 eisei Ajacem cogitavit, cui  
 privatim erat inmensa, licet  
 universæ Græcis faveret con-  
 tra Trojanos. Reliquias iræ,  
 quæ exarserat in Trojam, con-  
 vertit in Ajacem. De illo vi-  
 de Oden 13. lib. 1.

Impiam rancem. Pro, impii  
 Ajacis rancem.

Luteus. Flavus, flavos effi-  
 ciens.

Non virilis. Fæminea: igna-  
 vi gemitus, quos media in

aversum. Tibi infensum  
 non auditurum.

Ionius sinus. Mare Ionium,  
 alluit Græciam ab Occasu,  
 inter Siciliam, & Cretam. Si-  
 nus Noto remugiens, id est,  
 mare procellosum, & à ventis  
 agitatum.

Opima, &c. Quod si eveniat,  
 ut naufragio pereas, & cada-  
 ver tuum, in littore porre-  
 ctum, mergis, & piscibus opima,  
 & lauta præda fiat; ego caprum  
 fœtidum, ac simile tibi ani-  
 mal, bonis Tempestatibus, pro  
 re tam feliciter gesta, macta-  
 bo. Mergi sunt aves quædam  
 marinæ.

*Bicolo* ODE X. *Prophe*  
 Ad amicos, ut per hyemem gento indulgeant.  
 14. vers. Exame, comuni  
 6. ped. = Horrida tempestas Cælum contraxit, & imbres,  
 1. a. ped. = Nivesque deducunt Jovem; Jam sic, dimes,  
 2. ped. et 1/2. = Nunc mare, nunc silva, dactylicus. *Prophe*  
 Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,  
 Occasionem de die,  
 Dumque virent genua,  
 Et decet, obducta solvatur fronte senectus.  
 Tu vina Torquato, move,  
 Consule pressa meo;

Cælum contraxit. Frigas om-  
 nia contrahit, ac deformat.  
 Ita de apibus Virgilius; Con-  
 tracto frigore pigra. Nubes igitur,  
 & aer dentantur, & quasi  
 contrahuntur præ frigore.

Deducta. In terram trahunt.  
 Jovem, ærem. Pluvia enim  
 nihil aliud sunt, quam aer cō-  
 cretus, & contractus; qui, cum  
 pluit, solvitur; densatur, & co-  
 gitur, cum ningit, &c.

Sylva. Trisyllabum est hoc  
 in versu, & Anapaestum facit.  
 Occasionem. Comestandi.

De die. Hoc ipso die obla-  
 tam: luce palam rapiamus, &  
 ipsi diei extorqueamus.

Virent genua. Dum valeru-  
 do, & ætas juvenilis faveat.  
 Ægrois, & senibus, tremunt,  
 ac labant genua; stant, vigen-  
 que valentibus.

*Jambicu dimes 2 et 4 o loco 4 pedes. Ca.*  
*Jambico, 1 et 3 o admittit sp. dactyl. et Anapost.*  
*et 1/2 in locis p. 2. & 4. tribrachy.*

Senectus. Pro mœrore, &  
 tristitia hic sumitur, ut sapēs  
 Sic Persius Sat. r. En pallor, se-  
 niumque! Sententia est: fron-  
 tem explicemus, removeamus  
 tristitiam obducta fronte, id  
 est, quæ habet frontem obdu-  
 ctam, tectam, & nube, ac te-  
 nebris velut involutam. Vel  
 solvamus, & removeamus tri-  
 stitiã a fronte, quam obducit,  
 id est, regit; frontem exporti-  
 gamus.

Tu. Vnum aliquem ex ami-  
 cis compellat.  
 Move, &c. Deripe ex hora-  
 reo, vel apotheca.

Pressa. Expressa ex uvis  
 fusa in amphoras.  
 Torquato Consule meo. Sub  
 quo nempe sum natus, anno  
 V. C. 689. Vide Horatii vitam  
 in libri hujus fronte positam.



Cætera mitte loqui. Deus hac fortasse benignâ  
Reducet in sedem vice.

Nunc, & Achæmeniâ  
Perfundi narido iuvatis; & fide Cyllenæâ

Levare diris pectora  
Sollicitudinibus:

Nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:  
Invisite mortalis, Deâ

Nate puer Thetide.

Te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi  
Findunt Scamandri flumina,

Lubricus & Simois;

Unde tibi reditum certo subtemine Parca  
Rupere; nec mater domum

Carula te revchet.

Illic omne malum vino, cantuque levato,

Mitte. Omitte sermones  
molestos de aliis rebus, quam

de vino, & hilaritate.  
Hæc. Damna Reipublicæ.

In sedem. In pristinum sta-  
tum: Loquitur de Republica;

quæ tum fortè, cum hæc scri-  
beret, reliquis bellorum ci-  
vilium laborabat.

Achæmeniâ. Persicâ: Achæ-  
menes Rex Persarum fuit.

Fide. Lyrâ. Fides, fidis, pro-  
priè est nervus, seu chorda  
lyra.

Cyllenæâ. Mercuriali; quia  
invenit tyram, & ejus primus  
artifex fuit Mercurius, in Cyl-  
lenæ monte Arcadiæ, natus.

Grandi alumno. Achilli.

Centaurus. Chiron, ejus  
præceptor, & moderator.

Te manet, &c. Iturus es ali-  
quando Trojam; in qua regna-  
vit olim Assaracus.

Scamander, Simois. Troa-  
dis flumina.

Certo subtemine. Certo filo,  
quod secare decreverunt, prius-  
quam redeas. Propriè subte-  
men, sive subtegmen, est filum

in tela, quod stamini, seu filis  
longioribus, hinc atque inde  
inseritur ope radii: hæc usurpa-  
tur pro eo filo, quod è colu-  
trahere finguntur Parca.

Mater Carula. Thetis.

Illic. Ad Trojam in ca-  
stris.

De.

Deformis ægrimonia

Dulcibus alloquiis.

Dulcibus, &c. Est appositio: consolari, Varrone teste, &  
quod vinum, qui cantus, sunt Catullo. Vel; Illic omne ma-  
dulcia alloquia, id est, solatia, lum, omne incommodum de-  
deformis ægrimonia; hoc est, formis ægrimonia, levato,  
tritium curarum. Allocutio, cantu, vino, & dulcibus ami-  
pro consolatione apud Latinos corum colloquiis.  
interdum sumitur; alloqui, pro,

Dicor ODE XI. Disprope

Romanos hortatur, ut Romam, bellis civilibus  
semper æstantem, relinquunt, & in  
insulas Fortunatas commigrent.

6. p. A. Læta, jam teritur bellis civilibus, atas;

6. p. A. Suis, & ipsa Roma viribus ruit;

Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,  
Miracis aut Etrusca Porfena manus;

Altera atas. Prima civilium  
bellorum atas dici potest ea,  
quæ Marius, Syllam, &c.  
tulit: altera quæ Pompejum,  
ejus filios, & Antonium, &c.  
Porro atatem pro annorum  
circiter 30. spatium posuit, ut  
vulgò vox ea sumitur, licet  
annos interdum plures, paucio-  
resve significet.

Teritur. Consumitur, tra-  
ducitur.

Quam neque, &c. Pendet  
hoc a versu 9. Nos perdemus

Romam, quam neque Marsi,  
&c.

Marsi. Italiae populi fuere:  
qui, cum jus civitatis sibi pro-  
missum obtinere non possent,  
adjunctis sibi finitimis Romæ  
populis, bellum sociale, sive  
Marsicum, confaverunt. Ode  
10. libri 3.

Porfena. Porfena, Rex Etrus-  
corum, conabatur Tarquinium  
Superbum, ejectum Romæ, res-  
tituere: verum Romanorum  
fortitudine, ac Mutii Scævole  
facto deterritus, incepto desti-  
tit. Vide Flor. lib. 1. cap. 10.



*Æmula nec virtus Capua, nec Spartacus acer;*

*Novisq; rebus infidelis Allobrox;*

*Nec fera caruleâ domuit Germania pube,*

*Parentibusque abominatus Hannibal;*

*Impia perdemus devoti sanguinis atas:*

*Ferisque rursus occupabitur solum.*

*Barbarus, heu! cineres insister victor, & Urbem*

*Eques sonante verberabit ungulâ:*

*Quæque carent ventis, & Solibus ossa Quirini*

*Æmula, &c.* Capua Vrbs erat nobilissima in Campania Romana, Romæ propè par. In eam, ipsâ Româ captâ, & eversa, sedem Imperii orbis terrarum transferre Hannibal meditabatur; quâ spe Capuanos sibi mirificè devinxerat.

*Spartacus.* Servile bellum movit. Lege Oden. 10. lib. 3. *Herculis ritus, &c.*

*Allobrox.* Allobroges, populi Galliæ, qui nunc Sabaudj, & Delphinates vocantur, rebus novis, & Catilinæ favebant: itaque merito inter hostes gravissimos Romanæ Reip numerantur: quamvis postea detecti Ciceronis vigilantia, cui conjurationem omnem ultro patefecerunt, relictis Catilinæ partibus, in officio, ac Reip fide manserunt: unde infideles novis rebus dicuntur; quia fidem datam civibus, novarum rerum, id est, Reipublicæ mutandæ, aut potiùs, evertendæ

cupidis, non servârunt. *Germania.* Penè Romam deleverunt Cimbri, & Teutones; eos Marius profligavit.

*Pube.* Juventute, militibus. *Carulcos ferè oculos habebât Germani,* Tacito teste.

*Abominatus.* Invisus, detestabilis.

*Parentibus.* Quorum liberos tam multos interemit.

*Impia atas.* Nos impii, & impio saculo nati; quorum sanguis facer, ac devotus, id est, morti destinatus videtur esse, propter majorum scelera.

*Rursus, &c.* Tellurem hanc, ut ante Romam conditam, feræ habitabunt.

*Barbarus, &c.* Barbari, post victoriam de nobis partam, incensæ Vrbs cineres calcabunt.

*Quæque, &c.* Et Romuli tumulum, tectum, & clausum, aperiet: cineres ejus in ventos dividet.

(Nep)

(*Nefas videre*) dissipabit insolens.

Fortè quid expediat, communiter aut melior pars,  
Malis carere quaritis laboribus?

Nulla sit hac potior sententia: (Phocæorum

Vel profugit execrata civitas

Agros, atque Lares patrios, habitandaque sana

Apris reliquit, & rapacibus lupis)

Ire, pedes quocûmq; ferent, quocûnque per undas

Notus vocabit aut protervus Africanus.

Sic placet? an melius quis habet suadere? secundâ

*Nefas videre.* Quæ ossa nefas

est, id est, non licet videre. Religio erat apud veteres, tumu-

los effodere, ossa scrutari, &

dissipare. Vel, quod spectaculum triste visu, ac nefariû erit.

Fortè quid, &c. Fortè quaritis, id est, cives, communiter, id

est, omnes universè, aut melior, seu, major pars vestri,

quid expediat, quid opus factio sit, carere, id est, ad carendum

malis laboribus, ut careatis bellis civilibus? Iste infinitivus à Græcis ita ponitur pro gerundio cum præpositione.

Legunt aliqui: fortè (quod expediat) communiter, &c. & sic ordinant: fortè quaritis, & cupitis carere malis laboribus: quod quidem expediat, quod optimum est factu: quis enim remedium calamitati nô quarat? Vel, quaritis communiter, & omnes simul (quod quidem expedit, ac optimum

ellet) aut, si id non potest, major pars saltem quaritis carere, &c.

*Phocæorum.* Phocæa civitas Ionix fuit; quam cum obsiderent Persæ Græcis infesti, cives navibus Deos, & conjuges imposuere, ac nunquam redituri, profugerunt in eam Galliæ partem, ubi nunc est Mithila.

*Execrata.* Diris execrationibus, & imprecationibus usæ, vel, Lares, & agros suos detestata, profugit.

*Fana.* Tempia: ea deseruit, à feris incolenda.

*Ire, pedes, &c.* Redi ad quartum retro versum: nulla sit sententia potior hac; nempe, ire, eundi, quò nos pedes ferent, &c. Phocæorum exemplo.

*Suadere.* Quod suadeat.

*Secundâ alite.* Bonis omnibus: de voce, secundus; vide Od. 12. lib. 4.

Ra.



Ratem occupare quid moramur alite?  
 Sed iuremus in hac: Simul imis saxa renarint  
 Vadis levata, ne redire sit nefas;  
 Non conversa domū pigeat dare lintea, quando  
 Padus Marina laerit cacumina;  
 In mare seu celsus procureret Apenninus,  
 Novaque monstra junxerit libidine  
 Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,  
 Adulteretur; & columba milvio:  
 Credula nec fulvos timeant amenta leones,  
 Ametque salsa levis hircus aquora.  
 Hac, & quæ poterunt reditus abscindere dulces,  
 Eamus omnis execrata civitas,

In hac, &c. In hæc verba. Ita juramentum concipiamus: nimirum ne sit nefas redire, id est, nos juramento solutum iri, & nefas nemini fore dare lintea domum conversa, hoc est, vela facere, ac in patriam reverti, simul, ac saxa, quæ sunt imo in mari, renaverint, emerferint imis vadis, id est, fluctibus. Simile quidpiam Phœciæ factitarunt: massam enim plumbeam in mare projece- runt, se non antè redituros contestati, quàm illa è fundo maris sponte emerisset.

Padus. Italiæ fluvius, Gal- liam Cisalpinam ab Occiden- te in Orientem mediam fe- cians, inter Liguriam, Duce- tum Mediolanensem, & Ve- netam ditionem fluens: Mati- nus est mons Calabriae. Fieri

autem nequit, ut Padus supra illum montem atollatur.

Novaque, &c. Et amor mi- rus junxerit novâ, & inauditâ libidine monstra, id est, ferâs disparis generis, tigres cervis, columbas milviis.  
 Milvio. A milvio adulate- tur, ametur. Notat Torrentius legi, milvio, in omnibus ma- nuscriptis, meritoque dubitari posse an, milvius, Latina vox sit.

Levis, &c. Sine pilis sit hir- cus, qui naturâ pilosus, & hir- sutus est; idemq; amet æquo- ra, instar piscium naret, qui amat in montibus pasci.

Hæc, & quæ, &c. Eamus omnis civitas, omnes cives, postquam adhibuerimus istas jurandi, & execrandi reditum, formulas, aliasque consimiles, quæ

Aut pars indocili melior grege: mollis, & exspes  
 Inominata perprimat cubilia.  
 Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
 Etrusca præter & volate littora.  
 Nos manet Oceanus circum vagus; arva, beata  
 Petamus arva, divites, & insulas,  
 Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,  
 Et imputata floret usque vinea;  
 Germinat, & nunquam fallentis termes olivæ;  
 Suamque pulla ficus ornat arborem;  
 Mella cavâ manant ex ilice; montibus altis  
 Levis crepante lymphâ deflilit pede.  
 Illic injusse veniunt ad mûltra capellæ;

quæ nos a redeundo deterreat.

Aut pars, &c. Omnis civi- tas, aut pars ejus saltem sa- nior, & melior, consultior que indocili grege; id est, vulgo, & plebeculâ, quæ, instar stu- pidi gregis, ratione duci ne- quit.

Mollis, &c. At quæ pars est mollis, delicata, quæ non tan- gitur spe fortunæ melioris, maneat in Vrbe, ubi otiosè in cubilibus jaceat.

Inominata. Infausta, inaus- picata.

Perprimat. Id est, valdè pre- mat.

Prætervolate. Navibus re- linquite. Volare naves dicun- tur, & aves vicissim, nare.

Etrusca. Etruria est pars Italiae, in medio, ad mare Tyrrhenum.

Manet. Expectat: Petamus Oceanum, qui circum terras vagatur, qui eas ambit, vel potiùs, insulas in Oceano po- sitas: Italia est in mari Medi- terraneo.

Arva beata. Fortunatas in- sulas. Sunt illæ in mari Atlan- tico, non procul ab Hispania: in iis aer purissimus, fert'lis admodum terra, quidquid ad victum, & delicias desiderari potest, ibi abundare dicitur.

Imputata. Non amputata.

Termes. Ramus semper fe- racis olivæ.

Suamque. Non instam, na- turalem.

Pulla. Nigricans, matura.

Mûltra. Vasa, in quibus excipitur lac è pressis uberi- bus.



Refertque tenta grex amicus uberas;  
 Nec vespertinus circum gemit ursus oviles;  
 Nec intumescit alta viperis humus.  
 Pluraque felices mirabimur; ut neque largis  
 Aquosus Eurus arva radat imbribus;  
 Pingua nec siccis urantur semina glebis;  
 Utrumque Rege temperante Calitum.  
 Non huc Argoo contendit remige pinus,  
 Neque impudica Colchis intulit pedem.  
 Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,  
 Laboriosa nec cohors Ulyssæi.  
 Nulla nocent pecori contagia; nullius astri  
 Gregem astuosa torret impotentia.  
 Juppiter illa pia secrevit littora gentis;  
 Ut inquinavit ære tempus aureum;  
 Ære, dehinc ferro duravit sacula, quorum  
 Tenta. Diffenta, plena.      biei sunt Sidonii; nō focii Ulys-  
 Intumescit. Ob latebras ser-      sis, homines videlicet libidino-  
 pentium, sub terra delitescen-      si, & voluptati servientes.  
 tium.  
 Pingua, &c. Mirabimur      Sidonii. Sidon, urbs Phœni-  
 quemadmodum, calor, & sic-      ciæ, ad mare; emporium Ce-  
 eitas nimia non urat pingua      leberrimum.  
 semina in sulcis arenibus, in-      Cornua. Antennarum ex-  
 ter glebas siccas.      tremas partes.  
 Utrumque. Aquas, & sicci-      Laboriosa. Quæ multos la-  
 tatem.      bores pertulit.  
 Non huc, &c. Non huc ve-      Ulyssæi. A Nominativo,  
 nerunt Argonautæ, qui nem-      Ulyssæus vulgò Ulysses.  
 pe, ut alienas opes raperent,      Impotentia. Vis immodica  
 navim Argo conscenderunt;      & potentia exitialis.  
 non Medea, ob veneficia infam-      Ut. Ex quo.  
 is: non nautæ Sidonii, id est,      Inquinavit ære. Postquam  
 homines avari, & iniusti, qua-      æratem auream mutavit æræ  
 les sunt nautæ, & mercatores;      deteriori.  
 quos inter eximii semper ha-      Duravit. Dura fecit, & æri  
 ferroque similia.

Piis secunda, vate me, datur fuga.  
 Pii. Hominibus probis.      Vate me. Me prædicente,  
 Secunda. Felix, & auspi-      ac spondente securitatem feli-  
 cata.      citatem.

## ODE XII. Monocolos

Veniam petit à Canidia veneficâ, cujus

artem spererat.  
 Des vos. *De Jambici trimetri acathalact.*  
 Jam jam efficaci, do manus scientiæ,  
 Supplex, & oro regna per Proserpina,  
 Per & Diana non movenda Numina,  
 Per atque libros carminum valentium,  
 Refixa Cælo devocare sacra,  
 Canidia, parce vocibus tandem sacris;  
 Citumque retro volute, volute turbine.  
 nes indicat.

Do manus Victum me fa-  
 teor. Victi solent manus sup-  
 plices porrigere.

Scientia. Arti magicæ.

Non movenda. Non irritan-  
 da, non movenda ad iracun-  
 diam: erat enim Diana, sive  
 Luna, gravis in peccantes, &  
 acerba; neque mortem solum,  
 & pestilentiam hominibus,  
 sed etiam amentiam immitte-  
 re credebatur. Hinc illi amê-  
 res, qui Lunatici appellantur.  
 Quid sit movere, & quatere  
 Numina, explicimus, in Od.  
 16 lib. 1.

Valentium. Quæ possunt.

Refixa. Detracta. His verbis,  
 libros magicos, & incantatio-

Devocare. E Cælo in terras  
 vocare, & trahere.

Parce, &c. Noli me perse-  
 qui, & vexare carminibus tuis  
 sacris, id est, magicis, & di-  
 ris.

Volute retro, &c. Convertite  
 in contrariam partem. Vte-  
 bantur magi, in suis incantati-  
 onibus, turbine, sive rhem-  
 bo, quem filis, & taxiolis in-  
 volutum circumagebant: ut  
 autem irrita esset incantatio,  
 inhibebant motum; ut incan-  
 tatio eadem valeret in con-  
 trariam partem, turbine  
 aliam in partem converte-  
 bant.



Movit nepotem Telephus Nereium,  
 In quem superbus ordinarat agmina  
 Mysorum, & in quem tela acuta torserat.  
 Unxere matres Ilia additum feris  
 Alitibus, atque canibus, homicidam Hectorem;  
 Postquam relictis mœnibus Rex procidit,  
 Hæ! pervicacis ad pedes Achillei.  
 Setosa duris exuere pellibus  
 Labrivosi remiges Ulyssæi,  
 Volente Circe, membra; tunc mens, & sonus  
 Relatus, atque notus in vultus honor.  
 Dedi satis, superque poenarum tibi,  
 Amata nautis multum, & insitoribus.  
 Fugit juvenetas, & verecundus color

Nepotē Nereium, &c. Achille, genitum Thetide, filiā Nerei. Telephus. Mysorum Rex; qui cum Trojam petentes Græcos arceret Mysiā, negaretq; transitum, ab Achille vulneratus est: oraculo consulto, responsum fuit, eum ab eodem sanari tantum posse, à quo vulnus accepisset: supplex igitur Achillem adiit; qui decussa in vulnus Telephi hastæ suæ rubigine, hominem perfanavit.

Unxere, &c. Matres, id est, Matronæ Iliæ, Trojanæ, unxerunt balsamo, & aromatis delibutum tumularunt cadaver Hectoris, additum, id est, destinatum ab Achille vulturibus feris.

Rex. Priamus: is corpus, Hectoris ab Achille petiit, &

exoravit. Lege Od. 9. lib. 1.

Setosa, &c. Porcina membra exuerunt.

Sonus relatus. Vox ipsis fuit reddita.

Notus honor. Humana facies, & dignitas.

Dedi, &c. Satis me vexasti tuis magicis carminibus, ò tu, quæ amaris impensè à nautis, & mercatoribus, (qui insitores ab instando vocantur.) Incipit eam carpere, ut vulgarem mulierem; licet in speciem laudare videatur, pendere, ac si eam omnes expectarent: nautæ enim pro navium magistris sæpè accipiuntur, qui vulgò sunt locupletes.

Verecundus color, &c. Rubicundus: rubor enim est verecundiæ, & pudicitæ color.

Co-

Reliquit assa pelle amicta luridâ.  
 Tuis capillus albus est odoribus:  
 Nullum à labore me reclinat otium:  
 Urget diem nox, & dies noctem; neque est  
 Levare tenta spiritus præcordia.  
 Ergo negatum vincor, ut credam miser,  
 Sabella pectus increpare carmina,  
 Caputque Marsâ dissilire naniâ.  
 Quid amplius vis? ò mare, & terra! ardeo,  
 Quantum neque atro delibutus Hercules  
 Nesci cruore; nec Sicana fervidâ

Color vividus deseruit ossa mea, quæ nunc sunt amicta luridâ pelle; & pallidâ.

Amicta. Vestita.

Tuis, &c. Mei capilli jam canescunt; propter tuos odores. Sic vocat ironicè pharmaca, & venena Canidæ; à qua immixtam sibi ante tempus senectutem queritur.

Reclinat. Solvit, liberat: quiescere enim solemus reclinati.

Urget, &c. Diem, molestiæ laborisq; plenum, excipit laboriosa, graviorque nox: vel, inter diu noctem desidero; & noctu, cum mihi sit inquieta quies, diem postulo: luce noctem, nocte lucem expecto.

Neque est, &c. Neque licet spiritum ducere; liberè respirare non possum; & pulmones fessos, distentosque liberiori anheliu relaxare.

Ergo, &c. Ordo est: ergo

nunc miser vincor, id est, ad hoc, ut credam negatum: hoc est, quod antea negabam: nempe carmina magica (quæ Sabella vocat, vel, quod Canidia Sabina esset, vel, quod in Sabinorum regione multi magi reperirentur) pectus increpare, id est, animos hominum perturbare; quater, & agitare. Sunt qui Sabellos alios à Sabinis faciant, ab illis quidem oriundos, sed Samnium incolentes, Marsis proximòs.

Dissilire. Frangi.

Marsâ naniâ. Magicâ incantatione. Vide Od. 5. hujus lib.

Quantum, &c. Vide hunc lib. Od. 3.

Nec Sicana, &c. Ordo est. Ardeo, quantum non ardet Sicana; id est, Sicula flamma, virens in Ætna fervida: Ætna ignes intestinos alit; ac idem

T tidera



Virens in Ætna flamma. Tu, donec cinis  
Injuriis aridus ventis ferar,  
Calês venenis officina Colchicis.

Quæ fuit: aut quod me manet stipendium?  
Effare: jussas cum fide peras luam;  
Paratus expiare, seu poposcero  
Centum juvencos, si ve mendaci lyrâ  
Voles sonari. Tu pudica, tu proba,  
Perambulabis astra, siâus aureum.  
Infamis Helena Castor offensus vice,  
Fraterque magni Castoris, victi prece  
Adempta vati reddidère lumina:

idem vomit. Vide Virg. lib. 3.  
Virentem flammam appellat,  
quæ nunquam extinguitur, &  
senescit. Quidam legunt, *fi-  
rens*. Virere dicitur ea om-  
nia, quæ firma sunt, ac valida:  
hinc viridis juventa, senectus,  
animus, &c.

Tu donec, &c. Tu, ò Cani-  
dia, (tanquam officina, in  
qua sunt igne multo venena  
Colchica) nova, & efficaciora  
in dies adhibes, quibus ure-  
re me miserum non cessas, do-  
nec in cineres solvar, & in  
ventos dissipar.

Stipendium. Pœna. Propriè  
est pecunia millibus in diem  
dari solita; stips, quæ illis pen-  
ditur. Pro præmio quolibet  
usurpatur; præmium autem de  
supplicio, & mercede dicitur.  
Quam jubes me pœnam pen-  
dere? Vel, quid tibi à me ju-

bes perfolvi, quo liberer, quò  
solvar dementia?

Jussas. A te constitutas.

Cum fide. Fideliter.

Expiare. Crimen: te placare.

Centum juvencos. Sacrifi-  
cium, quâ Hecatomben Græ-  
ci vocant.

Sonari. Laudari.

Perambulabis astra. In Cœ-  
lo à me collocaberis, instar  
eximii sideris: ad Cœlum te  
laudibus meis tollam; dicam,  
te pudicam esse, & probâ, &c.  
jocatur: & Canidiam irridet.

Infamis, &c. Sensus est: Cas-  
tor, ejusque frater Pollux,  
offensi vice, id est, ignominia,  
calamitate, & sorte adversâ  
Helene sororis suæ, quam Pœ-  
ta Stesichorus infamem red-  
diderat, victi tamen, & placâ-  
ti precibus ejusdem Pœtæ, ac  
palinodia, illi reddiderunt lu-  
mi;

Et tu (potes nam) solve me dementia:

O nec paternis obsoleta sordibus;

Nec in sepulchris pauperum prudens anus

Novendiales dissipare pulveres;

Tibi hospitale pectus, & pura manus.

mina, quibus cum privave-  
rant. Stesichorus carmen de  
Helena scripserat; in quo ejus  
libidinem belli Trojani cau-  
sam esse dixerat: oculis subin-  
de captus, recantavit quæ ce-  
cinerat: ajuntque visum illi  
restitutum fuisse.

Potes nam. Nam id potes  
facile.

Dementia. Quam magicis  
tuis carminibus mihi attulisti.

O nec, &c. O Canidia, quæ  
neque ob parentum adulteria,  
& ignobilitatem infamis es,  
&c. Obsoletum id propriè di-  
citur, quod tractari non solet,  
quod vetus, ac victum est, at-  
que adeò detritum, & putri-  
dum.

Nec in, &c. Hæc omnia cõ-  
trarium in sensum sunt acci-  
plenda. Quæ prudens anus es,  
id est, sciens, & perita, ad pul-  
veres, hoc est, cineres mor-  
tuum, nono quàm obierunt  
die, ac sepulti sunt, eruendos,  
ac dissipandos, è tumulis ma-  
ximè pauperum. Hoc fiebat

a veneficis, ut ossa colligeret,  
quibus in suis incantationibus  
uterentur. Dicam, nunquana  
hoc à te factum fuisse. Ironia.

Pauperum. Divitum sepul-  
chra, ne aut feris, aut veneficis  
paterent, sedulo custodieban-  
tur; non ita pauperum.

Novendiales. Nono die hu-  
matos. Apud majores, inquit  
Servius, in lib. 5. Æneid. ubi  
quis fuisset extinctus, domum  
suam referabatur, & illic se-  
penter erat diebus; octavo in-  
cendebatur; nono sepeliebantur  
ejus cineres. Acron triduo  
tantum ait servatos fuisse in  
ædibus mortuos; post triduum  
impositos rogo; quæ iterum  
post triduum cineres in urnâ  
conditos. Itaque, Novendiales,  
significabit cineres per dies  
novem servatos: propriè enim  
novendiale est, quod novem  
diebus durat.

Hospitale. Mite in hospites,  
pium, & humanum.

Pura. Innoxia, pura scele-  
ris, nullius imbuta sanguine.



Respondet Horatio Canidia, se nunquam illi placatam fore.

**Q**uid obseratis auribus fundis preces?

Non saxa nudis surdiora navitis

Neptunus alto tundit hybernus salo.

Inultus, ut tu riseris Coryttonia

Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Et Esquilini Pontifex venefici,

Impunè ut Urbem nomine implèris meo?

Quid proderit dicasse Pelignas anus,

Obseratis. Clautis, surdis.

Non saxa, &c. Scopuli, qui à fluctibus iratis verberantur alto in mari, non sunt surdiores navitis nudis, id est, naufragis, quàm ego sum tibi: ad naufragorum preces, & ejulatus non magis surda sunt saxa, quàm ego ad tuas.

Salo. Mari.

Inultus, &c. Tunc riseris impunè nocturna, qua sunt Coryttoni, sacra; in quibus liber Cupido dominatur: tunc, postquam ea vulgavisti, inultus id feceris.

Coryttonia. Subaudi, mysteria, sacrificia: Corytton, siue Corys, Dea quaedam fuit, impudicioris præles, apud Thracas, & Græcos. Legunt aliqui, Coryttonia, id est, Infernalis.

Sacrum liberi, &c. Nocturna quaedam sacra, in quibus magi, & venefici omni genere

Respondet Horatio Canidia, se nunquam illi placatam fore.

**Q**uid obseratis auribus fundis preces?

Non saxa nudis surdiora navitis

Neptunus alto tundit hybernus salo.

Inultus, ut tu riseris Coryttonia

Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

Et Esquilini Pontifex venefici,

Impunè ut Urbem nomine implèris meo?

Quid proderit dicasse Pelignas anus,

Obseratis. Clautis, surdis.

Non saxa, &c. Scopuli, qui à fluctibus iratis verberantur alto in mari, non sunt surdiores navitis nudis, id est, naufragis, quàm ego sum tibi: ad naufragorum preces, & ejulatus non magis surda sunt saxa, quàm ego ad tuas.

Salo. Mari.

Inultus, &c. Tunc riseris impunè nocturna, qua sunt Coryttoni, sacra; in quibus liber Cupido dominatur: tunc, postquam ea vulgavisti, inultus id feceris.

Coryttonia. Subaudi, mysteria, sacrificia: Corytton, siue Corys, Dea quaedam fuit, impudicioris præles, apud Thracas, & Græcos. Legunt aliqui, Coryttonia, id est, Infernalis.

Sacrum liberi, &c. Nocturna quaedam sacra, in quibus magi, & venefici omni genere

Velocius se miscuisse toxicum,

Si tardiora fata te votis manent?

Iagræ misero vitæ ducenda est, in hoc

Novis, ut usque suppetas doloribus.

Optat quietem Pelopis infans pater,

Egens benigne Tantalus semper dapis

Optat Prometheus obligatus aliti:

Optat supremo collocare Sisyphus

In monte saxum: sed vetant leges Jovis,

Voles modo altis desilire turribus,

Modo ense peccus Norico recluderes

vocat, quia Peligni, Maris, & Sabellis vicini, ob veneficia infames erant) & velocius, id est, præsentius aliquod ab iis toxicum, seu, venenū petiisse, quo emori statim; & vitæ simul, ac dementiæ solvi posset. Frustra illum laborasse Canidia respondet. Quid tibi proderit, inquit, anus illas dicasse, hoc est, magnis muneribus, magno pretio convenisse, ut velociorem tibi mortem afferrent: si ego efficio, ut tardius votis tuis moriaris? si tibi vitam infelicem præter spem, ac vota tua prorogo?

Ducenda. Producenda.

In hoc. Eam ob rem.

Suppetas. Sufficias; ut dures in nova supplicia.

Pelopis parens. Tantalus, qui infans dicitur, quasi infidelis; quod Jovem, Neptunum, & alios Deos, qui ad ipsam di-

verterant, Deos esse non erædens, illis suum filium Pelopem, clam à se interfectum, apposuit epulandum, tentaturus an id cognoscerent. Ob id scelus detrusus ad Inferos, æternâ siti, & fame torquetur. Alii dicunt, idcirco vocari infidum; quia, cum interesset convivii Deorum, in eorumque cœtu, & consilio versaretur quotidie, multa perperam effugerit, quæ tacita esse oportebat; imò necat, & ambrosiam furatus sit.

Benigna, &c. Affluentis, copiosæ; medias inter dapes janus.

Sisyphus. Vide lib. 2. Od. 11.

Obligatus. Alligatus, vel, addictus, & obnoxius. De Prometheo, vide Od. 14. l. 1. & 15. 2.

Desilire. Præceps ruere.

Norico. Noricum est regio Germaniæ, ferax optimi fer-



Frustraque vincula gutturi noctes tuas,  
 Fastidiosa tristis agrimonia,  
 Vectabor humeris tunc ego inimicis equesq;  
 Meaque terra cedit in solentia,  
 An, qua movere ceteris imagines,  
 (Ut ipse nosti curiosus) & polo  
 Deripere Lunam vocibus possim meis,  
 Possum crematos excitare mortuos,  
 Desiderique temperare poculum,  
 Plorem artis in te nil agentis exitum?

ri: nunc Bavaria pars.

Recludere. Aperire.

Fastidiosa. Quæ facit, ut omnia fastidiamus.

Vectabor, &c. Tunc tibi ineq-  
 uitabo, id est, insultabo; te  
 irridebo, inimicū meum. Ineq-  
 uitate alicui, est insultare.  
 Hanc metaphoram, & vetus  
 adagium, inde sumptum aliqui  
 volunt, quod Romani divites  
 lecticariorum humeris inter-  
 dum gestarentur. Hinc Plinius  
 in Panegyri. Impertari solebat,  
 non dico, quadrijugo curru,  
 sed humeris hominum, &c.

Meaque, &c. Tunc ex illam  
 gaudio, & humum petulanter  
 saltando premam, & cogam  
 subsidere.

Cercas, &c. Imaginibus ho-  
 minum è cera fictis uteban-  
 tur magica; artis periti, easque  
 movebant, feriebant; lania-  
 bant, ut vivos homines agita-  
 tos, & percussos volebant.

Curiosus. Hæc arcana de-  
 scripsit, Od. 5. hujus lib.

Desiderique, &c. Poculum,  
 potionem aptam ad amorem  
 excitandum.

Nil agentis, &c. Ita legitur  
 in plerisque libris manuscrip-  
 tis, & veteribus codicibus.  
 An dolebo, an patiar meam  
 artem nihil valere contra te?  
 nocere tibi non posse? exitum  
 habere meis votis contrariū?  
 Legunt aliqui, nihil habentis,  
 id est, nihil valentis: sed mi-  
 nus Latine. Alii sic explicant:  
 plorem artis (subaudi, causā)  
 nihil habentis exitum in te:  
 sed hoc duriusculum est: quis  
 enim Latine dicat satis com-  
 mode, nihil habeo potestatem,  
 vires, in illum? hæc ars nihil  
 habet exitum? Malim legere  
 cum Lambino: plorem artis  
 in te nullum habentis exitum:  
 quam lectionem probe tuetur,  
 ac illustrat.

ODE

## ODE XIV.

## CARMEN SÆCVLARE.

Chorus puerorum nobilium, ac puellarum, Deos,  
 ac præsertim Apollinem, & Dianam, orat  
 pro Imperii Romani felicitate.

**P**Habe! sylværumque potens Diana,  
 Lucidum Cæli decus, à colendi  
 Semper; & culti, date quæ præcamur,  
 Tempore sacro: *Adonice*

Quo Sibyllini monnere versus;

**Sæculare.** Ita dictum est;  
 quod ludis Sæcularibus can-  
 retur. Vertente quolibet sæcu-  
 lo, Romani dies festos, ludosq;  
 celeberrimos agebant, certas-  
 que preces, & hymnos can-  
 bant. Iustus est Horatius ab  
 Augusto istam Oden ea de cau-  
 sa scribere, anno V. C. 737.

**Potens.** Domina, præses.

**Lucidum, &c.** In ambos,  
 Apollinem, & Dianam, ea  
 vox, lausque cadit.

**Præcamur.** Pueri, & Puellæ.

**Sacro.** Festis diebus, qui  
 vertente sæculo, summâ reli-  
 gione peragi solebant.

**Quo, &c.** Quo tempore Si-  
 byllæ suis versibus præcepe-  
 runt, ut delecte omni ex Vrbe  
 virgines, & pueri, solemne  
 carmen dicerent Diis, Romæ  
 (in qua colles septem) præ-

sidibus, & custodibus.

**Sibyllini.** Sibyllæ fuere vir-  
 gines quædam fatidicæ, qui-  
 bus futuri notitia Deus in  
 præmium castitatis videbatur  
 indulgisse. Decem vulgò nu-  
 merantur. Insignis est ea, quæ  
 Camæna dicebatur: de qua  
 Virgil. lib. 6. Tarquinio Su-  
 perbo, Romanorum Regi, una  
 quædam ex illis novem libros  
 obrulit, in quibus Reip. Rom-  
 fata contineri diceret; petitiq;  
 pretium 300. nummorū. Re-  
 cusante Rege, tres libros in  
 ignem conjecit; idemque pre-  
 tium pro reliquis poposcit.  
 Irridente Rege, tres alios li-  
 bros cremavit; & pro aliis tã-  
 tumde petere perrexit. Quod  
 Tarquinius admiratus, & pre-  
 tium persolvit, & libros inter  
 Imperii Romani sacra haberi

*Saphirus constat Choro, spond. T 4  
 Dachh, et duob; chorois.*

107



Virgines lætas, puerosque castos,  
Diis, quibus septem placuere colles,  
Dicere carmen.

Alme Sol, curru nitido diem qui  
Promis, & celas, aliisque, & idem  
Nasceris; possis nihil urbe Romæ  
Visere majus.

Ritè maturos aperire partus,  
Lenis Ilithyia, tuere matres;  
Sive tu Lucina probas vocari.

Seu genitalis  
voluit, adhibitis viris, qui eos,  
& servarent in Capitolini Jo-  
vis sacrario, & cum opus esset,  
consulerent. Illi viri, primum  
duo, deinde 10. postea 15. fuere.  
Isti libri, Syllæ tempore,  
incenso Capitolio, cum defla-  
grassent; conquisti sunt orbe  
soto versus Sibyllini omnes, &  
ex iis, confecti novi codices;  
ac pristina religione servati;  
qui demum, imperante Hono-  
rio, exusti sunt.

Septem colles. Aventinus,  
Capitolinus, Cælius, Esquilin-  
us, Palatinus, Quirinalis,  
Viminalis. Additi postea duo,  
Vaticanus, & Janiculus.

Alme. Ea vox ab alendo  
ducta est. De Sole dicitur; quia  
Sol omnia educat, alitque.

Promis, & celas. Profers, &  
condis.

Aliisque, & idem. Qui alius  
Sol ab hesterno videris esse.

licet unus, idemque sis.

Ritè, &c. Ordo est: O Il-  
thyia, quæ lenis es, facilis, &  
propitia, aperire, id est, in lu-  
cem proferre, maturos partus;  
quæ lenis es, ac benigna in  
partibus, & foetibus è matrum  
alvo educendis.

Ilithyia. Est nomen Dianæ  
quatenus parientes juvat, à  
Græca voce, significante, ve-  
nio, orior. Dicebatur etiam  
Lucina, à luce, in quam, ut  
partus feliciter ederentur, cu-  
raret: Genitalis, à gignerdo,  
quasi ad gignendum juvans.

Probas. Mavis. Erat autem  
hæc apud veteres religio, ut  
eo nomine Deos vocaret, quod  
ipsis putarent acceptissimum,  
& rei, quam postularent, con-  
venientissimum: unde multa  
sæpe illorum nomina conge-  
rebant, ignari quodnam esset  
omnium acceptissimum.

Divæ, producas sobolem, Patrumque  
Prosperes decreta super jugandis  
Fæminis, prolisque novæ feraci

Lege maritæ:

Certus undenos decies per annos  
Orbis, ut cantus referatque ludos,  
Ter die claro, totiesque gratæ  
Noctæ frequentes.

Vosque veraces cecinisse Paræ

Producas. Amplifices.

Patrum. Senatorum.

Prosperes. Fortunes; felicia,  
& fortunata esse jubeas.

Super, &c. De fæminarum ma-  
trimonio, & de maritali lege.

Jugandis, &c. In matrimo-  
nio ritè collocadis. Ea lege de-  
ceperantur iis præmia, qui è  
legitimis uxoribus liberos sus-  
ciperent; penè in adulteros sta-  
tuebantur, &c. quæ ad augen-  
dam in Vrbe sobolè erant ma-  
ximè valitura; unde legè hanc  
vocat Horatius, novæ prolis fe-  
rassem, & maritæ, seu maritalè;  
quia matrimoniorum honori,  
& sanctitati consulebat.

Certus, &c. Ordo est: preca-  
mpe; vel, facite, ut certus orbis,  
id est, certa annorum conversio,  
per annos decies undenos fa-  
cta, referat cantus, & ludos fre-  
quentes, per tres dies claros,  
totidemque gratas noctes.

Undenos, &c. Sæculares ludi  
non ceteris quoque, ut mul-

ti putant, sed centesimo  
decimo celebrabantur quod  
patet ex ipsis Sibyllinorum ver-  
suum vocibus; & Romana hi-  
storia. Primi enim ludi Sæcu-  
lares peracti sunt, anno V. C.  
298. secundi, 408. tertii, 517.  
quarti, 626. quinti, de quibus  
hic agitur, 737. Quos inter  
singulos intercedit spacium  
annorum 110.

Vosque, &c. Sententia hæc  
germana est: vosque Paræ, quæ  
veraces estis cecinisse quod se-  
mel à vobis dictum, & constitutum  
est; id est, quæ veraciter canit-  
is, & immutatum jubetis esse,  
quod semel, hoc est, irrevoca-  
bili decreto dixistis: quod ipsi  
Terminus Deus, & stabilis rerum,  
id est, qui res Imperii Romani  
stabilis facit, servat, & immu-  
tabile quoque esse jubet; vos, in-  
quam, peractis factis sequentia  
bona, & similia jungite; præ-  
teritæ felicitati futuræ addite.  
Paræ Romano Imperio im-



Quod semel dictum est, stabilisque rerum  
Terminus servat, bona jam peractis  
Jungite fata.

Fertilis frugum, pecorisque tellus

Spicula donet Cererem corona:

Nutrient satius, & aqua salubres,  
Et Jovis aura.

Condito mitis placidusque telo

Supplices audi pueros, Apollo:

Siderum Regina bicornis audi,

Luna, puellas.

Roma si vestrum est opus, Iliaque

Littus Etruscum tenuare turmae,

Jussa pars mutare Laves, & urbem

mortalitate, & aternitate promississe dicebantur; idque videbatur significasse Deus Terminus, cujus effigies reperta in Capitolii fundamentis, moveri loco non potuit: qua ob rem vocatur ad Horatio *stabilis rerum*. Vide Livii lib. 1. Porro Parcarum hic meminit; quia in ludis, festisque; Saecularibus celebrandis, initium ducebatur a sacrificio insigni, in earum honorem. Potest etiam hoc ita exponi: O Parcae, quas in vestris decretis, & effatis falli nunquam contigit; (quippe id canitis, quod semel dictum esse sufficiat) jungite in posterum bona fata praeteritis; idque servet terminus rerum stabilis (legitur enim in multis codicibus *servet*) id est, constans, & perpetua ad exte-

mum usque terminum rerum series servet, ac retineat eum cursum, ac statum Imperii, quem edixistis, & cecinistis.

*Spicula, &c.* Spicula offerrebat Cereri post messem.

*Factus.* Pecudum alumnos.

*Jovis.* Pro aere sumitur.

*Condito, &c.* Conjectis enim in terras telis, pestem, & morbos putabatur immittere. Vide 1. lib. Iliad.

*Bicornis.* Quia Luna crescente isti ludi celebrabantur. Luna porro, & Diana pro eodem Numine sumuntur.

*Roma si, &c.* Apollo praecipue Trojanis favebat, ac Aeneae.

*Iliaque.* Trojanum.

*Etruscum.* Tyrrenum. Aeneidem lege lib. 7. & 8.

*Jussa pars, &c.* Quae turmae

fuit

Sospite cursu;

Cui per ardentem sine fraude Trojam

Castus Aeneas, patria superstes,

Liberum munivit iter, daturus

Plura relictis;

Dii probos mores docili juvenca,

Dii senectati placida quietem,

Romula genti date, remque, prolemque;

Et decus omne.

Quique vos bobus veneratur albis

Clarus Anchisa, Venerisque sanguis,

Imperet bellante prior, jacentem

Lenis in hostem.

Jam mare, terraque, manus potentes

Medus, Albanaeque timet succores;

fuit pars Trojanorum exiguam, quos Dii jusserant solum vertere, & Trojam relinquere. Vide Aeneid. lib. 3.

*Cursu, &c.* Navigatione salva, & secunda.

*Cui, &c.* Cui turmae, cui Trojanorum parti, pius Aeneas, superites patriam, per medios Trojae ignes iter aperuit in Italia; daturus illi turmae suae, & genti plura, id est, Imperium majus, urbem florentiorem, res melius constitutas illis, quas reliquerant; nempe Romam fundaturus, Troja potiore.

*Fraude.* Periculo, damno.

*Castus.* Pius, sceleris purus.

*Remque.* Opes.

*Quique, &c.* Facite, ut Augustus, ab Anchisa, & Venere

per Aeneam oriundus, Imperium orbis terrarum obtineat; prior, id est, potior, superior bellante, hoc est, hoste bellum ipsi inferente. Regnet, ac hostes armatos vincat, subje-

ctis, domicilique parcat. *Bobus albis.* Sacris intererat Augustus, & victimis albas (tales enim Diis Superis immolabantur) mactabat.

*Manus potentes.* Romanorum potentiam; vel, Augusti victrices manus.

*Albanas.* Romanas: Alba enim quasi Romae mater fuit. Inde Albanas pro Romanis posuit: & ab Etruscis scisces, ut & caetera imperii decora, atque insignia Romam venere. Vide Flor. lib. 2.

Jam



Jam Scythæ responsa petunt, superbi  
Nuper, & Indi.

Jam fides, & pax, & honor, pudorque  
Priscus, & neglecta redire virtus

Audeis; apparetque beata pleno  
Copia cornu.

Augur, & fulgente decorus arcu  
Phœbus, acceptusque novem Camanis:

Qui salvari levat arte fessos  
Corporis artus;

Si palatinas videt aquas arces,  
Remque Romanam, Laciūque felix;

Alterum in lustrum, meliusque semper  
Proroget avum.

Queque Aventinū tenet, Algidūque,

Secures decuris, in medio vir-  
garū fasce posita, erat insigne  
Romanorū Magistratū, Con-  
sulū, ac Prætorū: quod ab Etru-  
scis, sive Albanis, Romani sū-  
pserant. Vide Livium lib. 1.

Scythæ. Vide Od. 11. & 12.  
libri 4.

Responsa. Propriè oraculo-  
rum responsa dicuntur: sensus  
est, Scythas, Indos, &c. Ro-  
mam quasi ad oraculum pu-  
blicum accedere, audituros  
quid sibi agendum sit, leges  
paci, bellique accepturos. In-  
di paulo antè nonnihil cladis  
intulerant Romanis.

Cornu. De cornu Copiæ,  
Vide Oden 15, libri 1.

Augur, &c. Commemoratur  
Apollinis munia: primum, di-

vinandi artem, 2. jaculandi,  
3. canendi, 4. medendi: tot  
enim illi tribuebantur.

Palatinas Romanas. In mō-  
te Palatino templum Apolli-  
ni Augustus dedicaverat.

Æquus. Propitius.

Alterum, &c. In alterum  
usque sæculum. Vulgò lustrum  
erat spatium annorum 5. quo  
exacto, civitas à Censoribus to-  
ta lustrabatur, expiabatur, re-  
censebatur. Inter lustra autem  
celeberrimum erat tertium, &  
vigésimum; quo in eunte, sæcu-  
lum novum ducebatur: undè  
hic initium redeuntis sæculi  
lustrum vocatur.

Proroget. Propaget, producat.

Ævum. Sæculum.

Aventinum. Algidum. Duo

montes

Quindecim Diana preces virorum  
Curret; & votis puerorum amicas

Applicet Aures.

Hæc Jovem sentire, Deosque cunctos,  
Spem bonam, certamque domum reporto,  
Doctus & Phœbi chorus, & Diana

Dicere laudes.

montes; ille, Romæ, hic non  
procul, in quibus ædiculæ duæ,  
Dianæ sacræ, viscebantur.

Quindecim virorum. Libris  
Sibyllinis eustodiendis præ-  
fectorum.

Reporto. Loquitur chòrus  
puerorum: Hanc spem domum

reporto, ego doctus dicere  
laudes, & Phœbi, & Dianæ,  
id est, qui didici, & doctus sum  
hunc hymnum recitare in ho-  
norem Phœbi, & Dianæ. Su-  
periores strophas alternis can-  
tabant pueri, & puellæ: hanc  
ultimam utriusque sim ul.

